

caudam aequalibus spatiis distantes protensas habet. Habet et labra crassa, spissa, prominentia, unde *χε- λῶνος* *Labeonis* nomen. Capite est paulo minore quam Cephalus, oculis prominentioribus, sine pellicula illa concreta, quam veluti palpebram habet in capite. Marinos pisces esse nullum dubium, sed an omnes fluvios et stagna fubeant, incertum. Capitonum alius translittoranus Aristoteli, quasi in alto mari degat. Galenus in stagnis quoque nasci scribit. Ut ut sit, Cestreum proprie dictum esse judico, qui longius a mari, ut in

Aristot. H. A. l. 8. c. 2.

* *Strabo Geogr. l. 15.*

Arist. H. A. l. 8. c. 19.

* Nilum ita in alios fluvios recedit. Cephalii in ejusdem vicinia, propter dulcem aquam et limum morantur. Etsi autem aquas ament, ab imbribus tamen adeo vehementer laeduntur, ut *visum* amittant, ut Aristoteles prodidit. Cephaloni imprimis oculi per hyemem albescunt: ipse tum et macer et coecus, quod in Nauplio terrae Argivae agro accidit, capitur: imprimis, si hyems asperima fuerit.

Marinos a fluviatilibus, spinarum numero et quantitate distinxit Galenus, plures his et minores innuens: certius indicium sapor ipse suppeditat. Acriorem et pinguedinis expertem Cephalum dicunt qui praestantior.

De *Cibo* non convenit inter auctores. Carne abstinere Aristoteles tradit, vivente duntaxat Oppianus et Aelianus. Idem Cestreum alga et limo vesci scripsit. Gulosus autem maxime est et insatiabilis, ideo in proverbium abiit, aviditas saepetanta, ut cauda verberando excutiat cibos.

Aelian. H. A. l. 1. c. 3.

Oppian. Hal.

Plin. H. N. l. 9. c. 17.

Tanta iisdem salacitas, ut in Phoenice et Narbonensi provincia, coitus tempore e vivariis marem linea longinqua per os ad branchias reli-gata emissum in mare eundemque linea retractum, foeminae sequantur ad littus, rursusque foeminam mares partus tempore.

De ipsorum *Generatione* ita *Aldrovandus*. Quod ad ortum generationemque eorum pertinet: scribit Aristoteles esse, qui omnes sponte oriri opinentur, quorum opinionem re-

fellit, quoniam unicum tantum eorum genus sit, quod non coitu, sed ex limo arenave enascatur: caeterorum verae foeminae ova, mares semen genitale habeant. Pariunt autem eodem teste semel anno: sed an eodem omnes tempore, difficulter ex ipso colligas; alias enim Capitonem vere parere tradit ultimum, quoniam novissime ejus foetus appareat: alias omnes Decembri mense grave-scere ait, tricenisque diebus gerere, et in iis Capitonem quoque enumerat, alias Cestreos ait inter primos partum accelerare, parere hyeme, locis iis maxime qua flumina exeunt, dum uterum ferunt, praecipue graviter laborare, ideoque fieri, ut tunc potissimum ruant in terram ac excidant: feriri porro gravi stimulo agitados in terram, atque omnino in temporis motu perpetuo incitari, donec pariant, sed requiescere a partu continuo.

De *Ingenio* et aliis hoc habet. Tam veloces esse, ut jejuni transversa navigia superjacent, et ubi dispositas pilcatorum sensere insidias, retia supervolent, ut veluti sagittae arcu emissae videantur. Curvos hamos habere suspectos, ideo postquam diu circumnavare, cauda prius escam percellere, et quod avulserunt deglutire, mox ore in angustum collecto, summis tantum labris ac vellicatim escas stringere. Irritati, in sublimem feruntur, et effugia quaerunt; si aberravere, quiescunt, et necem prostrati expectant. *Usum in Cibus* quod attinet, Hicesius omnes Leuciscos et Mugiles boni fucci esse, facile excerni, nec multum alere, scribit, nempe si mari puro capti sunt. Nam qui in coenosis locis, quales tum illi, qui in Etruria in Prillino lacu apud Orbatellum ad mediterranea deferuntur, tum hi, quos Padusae atque ipsi luculenti Fossae Clodiae canales viscere praetenero, Ferrariensibus et Venetis copiosissime praebent, pinguedinem humanae naturae infestissimam habent. Aristoteles in fluentis et lacubus, quod pinguiore fiant, praestare dixit. Lynceus Samius hyeme post partum laudat.

Plutarch. l. utra animal.

Oppian. Hal. l. 2.

Aesta-